



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. IV. Gravitas Sublunarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

instrumentis exploramus, utrùm plana sint exactè horizontalia, sique pinnaculis instruantur, examinare etiam possumus, utrùm corpora remotiora sint in eadem linea horizontali, indeque deducitur libellatio aquarum & alia, de quibus alibi.

§. IV.

Gravitas Sublunarium.

GRAVIA sublunaria, quocunque loco sint, gravitate sua deorsum nituntur. Est contra communem veterum Peripateticorum sententiam, qui teste Rubio proverbii loco habebant illud: *Elementa in propriis locis nec gravitant, nec levitant*. Per locum autem proprium & naturalem intelligunt illum, in quo gravia nec sub se, neque ad latus mediata vel immediata habent corpus levius in specie in eadem à centro distantia. Verùm ex hæcenus dictis satis constat, omnia gravia, tam solida, quàm liquida, ita ubique deorsum niti, ut pars superior premat inferiorem, & totum complexum agat per modum unius in aliud corpus subjectum: nam omnia prædicta experimenta æquè contingunt in mari aut cisterna, ubi aqua dicitur esse in loco proprio, ac in vase aquâ pleno supra turrim translato; & sicut major aut minor gravitas liquidi causa est, quòd corpus solidum mergatur aut sustentetur in uno loco, ita etiam facit pro alio: sic ferum ubique petet fundum in aqua, in hydrargiro autem natabit: & sicut aqua in dolio fundum premit & latera, & facto foramine eò erumpit vehementius, quò altior incumbit aqua; ita etiam in stagno aqua fundum premit, sique inferius excavaretur terra, illuc magno nisu descenderet aqua.

Et ab hac pressione oriuntur fontes salientes, & si tenue in carina foramen hiet, mox aqua, quâ patet rima, sursum erumpit. Unde rectè ait Peripateticorum Princeps lib. 4. de Cælo text. 30. *In sua regione omnia gravitatem habere*. Nam in hac suppositione ita cum experimentis convenit ratio, cum ratione experimenta, ut nec in toto rigore major proportio aut exactitudo desiderari possit. Inde autem deduces ulterius, cur in quibusdam aquis, ut in Asphaltite, in Agrigentino Siciliae lacu corpora difficilius ad fundum descendant; in aliis autem, ut Siderico Indorum stagno, aut in Arverni lacu ipsa arborum folia petant fundum, uti perhibet diligens naturæ scrutator Plinius.

§. V.

Applicantur aëri leges gravitatis, æquilibrii, & elaterii.

AER gravis est, & servat leges æquilibrii. Prob. 1. Auctoritate communi omnium ferè Philosophorum RR. quæ tanta est, ut si quis contrarium assereret, se ridendum propinaret. His accedit Arist. qui lib. 4. de Cælo T. 30. ita habet: *In sua regione omnia gravitatem habent . . . etiam aër ipse; signum autem est, quòd plus trahit uter inflatus, quàm vacuus*. En præter Auctoritatem etiam experimentum & rationem Philosophi, quâ assertio probatur 2. Quò plus aëris in vesica vel folle lusorio violenter intromittitur, eò folles evadit gravior; econ-